



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

6 Simoniaci sunt paciscentes, vt se mutuo iuuent in lite beneficiali, & qui obtinuerit, alteri pensionem soluat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

- 89 Confidentialis simonia est, si compermutantes pacifcantur.
- 90 Simonia crimen, etiamsi detur res modica, graue peccatum est.
- 91 Examinator, an promouendum in actu examinis clariorem reddendo, penas incurrat.
- 92 Favorem, apud alium interponens pro aliquo ad Cardinalatum promouendo, an sit simoniacus.
- 93 Simonia an sit extinguere pensionem, ut alter annua illi praestet.
- 94 Venia peccati non datur nisi correcto.
- 95 Simoniace de beneficio: si pensione prouisus, interim fructus facit suos.
- 96 Resignarius pecunias pro expeditione literarum resignanti mutans, an sit confidentarius.
- 97 Resignarius accepta possessione beneficii, resignanti aliquid dare possit.
- 98 Resignans an post resignationem, & captam possessionem a resignatorio, vicarius ad regimen beneficii constitui possit.
- 99 Confidentiali promittentes resignanti retrocedere, an olim pacta seruare teneantur.
- 100 Beneficio, post eius erecti nem vacanti onus imponi potest a superiore, non tamen persona de eo prouidenda.
- 101 Paruus petens, aut exigens aliquid dari solutum pro benedicti one nuptiarum, non est simoniacus.
- 102 Extraneus P. V. contra simoniacos lata inhabilitans simoniace acquirentes beneficia, non ligat acquirentes pensionem.
- 103 Ignorantia probabilis a censuris & penis excusat.
- 104 Mediator simonia restituere tenetur fructus beneficii ex causa suae mediationis male perceptos.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 3.

**P**restationes ab immemorabili tempore alicuius ecclesie Canonis in collatione beneficii, siue a Papa, siue ab ipsis Canonis facta, solui solita sine labe Simonie solui, & accipi possunt. Papa enim huiusmodi annate solutionem facientem predictis canonicis, seu capitulo eorum ad se honeste sustentandam, quoties beneficium vacauerit imponere possit, arg. extrau. Suiccepti. Ne Sede vacante, is cui beneficium confertur iuste sine simonie vicio conferenti, vel cuiuslibet alij in tituli acceptationem promittere potest, quicquid iuste post acceptationem debet: Quia expressio eius, quod tacite intelligitur, simoniam non inducit; Glo. in c. ad audientiam 2. de rescript. & praestatio huiusmodi immemoralis iustam dandi, & accipiendi causam esse praesumitur. cap. super quibusdam. de verbor. sign.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 101.

**Q**uamuis aliquando Confessarius, vel Penitentarius Summus, vel Minor ei, qui simoniam admisit, & absolutionem a peccato, vel a censuris petit, iniungere possit onus mouendi eum, cum quo simoniam admisit, ut eius penitentiam, & restitutionem faciat quam ob id facere tenetur, nihil enim quando ex circumstantijs personarum, & causarum cogitur, id absoluendo nimis graue non fore, & prodesse possit, & non obesse apparet; Id tamen regulariter faciendum non est, cum nec vlla ratio in iure Diuino, Naturali, aut humano fundata reddi possit, cur magis teneatur simoniacus admonere sui peccati confortes, & complices quam in alij, qui alia grauissima peccata committunt, & censuras grauioribus, quam simoniaci incurrunt; Nec lex vlla sit, quae hoc onus simoniaci imponit, capit. Quoniam. cap. cum essent, & capit. Nobis. de simonia.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 40.

**D**vo clerici opponere se volentes vni beneficio patrimoniali vacanti, & vnus eorum minus dignus, alteri digniori opponere volens irregularitatem, veram quidem, sed occultam, quam probare non potest, nec in iudicium deducit, sed interuentu amicorum conuenit inter ambos, ut omnibus exceptionibus omissis se submittant examini, & qui iudicatur dignior, habeat beneficium, & alteri pensionem annuam cum beneplacito Sedis Apostolicae soluat; & deinde dignior dispensationem super irregularitate, & retentione beneficii obtinet, nulla tamen facta mentione de praedicta conuentione; talis collatio propter praecedentem irregularitatem est nulla; ex Innoc. in cap. cum nostris de confess. praeb. & cap. cleri. de cler. excom. ministr. & tenetur digniori, cui collatum est beneficium ad restitutionem minus digno faciendam eo modo, quo impediens aliquem ab officio, vel beneficio consequendo tenetur: ita Na. in Man. c. 17. nu. 69. Quia minus digno fuit ius ad rem quaesitum in beneficio coram Deo, & in foro conscientiae, & huiusmodi conuentione de non opponendo alteri exceptionem propter promissionem pecuniae, est simoniaca ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. non quidem realis, quia non fuit ab vtraque parte impleta, sed conuentionalis solum, eo quod licet minus dignus adimpleuit eam non opponendo digniori tamen non adimpleuit constituendo, aut soluendo pensionem, & consequenter non fuit incurta ipso iure excommunicatio, nec irregularitatem nouam celebrando incurrit.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 51.

**D**vo volentes beneficia sua permutare, & conuenientes, quod si vllum illorum beneficiorum inueniatur aliqua pensione grauatum, is, cuius erat illud ante permutationem, pensionem illam solueret, Simoniam saltem conuentionalem committunt; quia interuenit pactum, quod est medium permutationis faciendae, & omne tale renunciationem, collationem, & permutationem simoniacam efficit, cap. quam pio. 1. q. 2. & cap. si de pact. Quod si consecrata, postea permutatione, ordinarij auctoritate, nulla de praefato pacto facta mentione, appareat alterum illorum beneficiorum esse pensione grauatum, is, qui ante permutationem pensionem debebat, si pensionem, antequam impetretur facultas a Papa id faciendi, soluat, simoniam, quae prius conuentionalis tantum fuit, (eo quod solum promissio de soluendo pensionem praecessit, quae nondum impleta fuit, & proinde ad simoniam realem non peruenit) realem soluendo committit, cum iam ex vtraque parte impleta sit promittendo scilicet & soluendo, ita Na. in Man. c. 23. nu. 106.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 25.

**P**actio, qua renunciarius certam pecuniam pro renunciante beneficio soluere promittit, si in fauorem suum illud resignet, conditione impleta, simoniaca est ex vtraque parte, cap. quam pio. 1. q. 2. & c. fin. de pact. & renunciatio talis utpote simoniaca, nulla, & inuvalida est, ita Innocent. in capit. cum vniuersorum, de rerum permutat.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 47.

**D**vo litigantes super beneficio, quod vterque per statuta foundationis sibi debitum esse contendit, & superuenientibus alijs litigatoribus eadem ratione sibi debitum contendentibus conuenientes inter se, ut mutuo se se contra alios inuent, & alteruter eorum, qui obtineret, alteri constitueret certam pensionem, & ut impensa essent communes, quae omnia, excepta poena pecuniaria, sub qua se ad id obligabant, beneplacito Papae subderunt, ita quod sine illo nulla essent, & praeterea, ut communibus impensis beneplacitum impetraretur: Post

K 2 que

quæ alter eorum altero desistente obtinet victoriam & possessionem pacificam adeptus, præfatam pensionem alteri soluere renuit; ut tamen alter a minus litigandi, quas faciebat, cessaret, mille aureos ei dat pro impensis, & laboribus ante, & post prædictam conventionem factis ante beneplacitum Papæ impetratum, quod postea impetrare non curauerunt; simoniam conventionalem commississe censendi sunt; eo quod conventio illa quoad penam Papæ beneplacito subiecta non fuit; voluerunt enim, ut pena, sub qua se obligauerunt, valetet, esto non accederet beneplacitum Papæ; Et præterea ex alio capite conventio hæc simoniaca est, quatenus nimirum datum, & acceptum fuit adiutorium promissum ab vna parte, antequam beneplacitum Papæ impetraretur; secus si postquam præditum fuerit; ex Nau. in Man. cap. 23. nu. 108. qui enim promittit dare centum pro beneficio sibi conferendo, si Papæ placuerit, & non alias, & soluit illa pro ipso ei collato, antequam placeat Papæ; a simonia non excusatur: Positum enim sub conditione nihil ante illius eventum operatur. cap. si prote. de ref. in 6. d. omnis. Infti de verb. oblig. Fuit autem simonia conventionalis tantum; non autem realis, eo quod ab utraque parte impleta non fuit; quamvis enim vnus eorum pro sua parte impleuit, alter tamen non impleuit, quia pensionem illam post beneficij consecutionem soluere noluit, & præfatos aureos dedisse censetur pro impensis, & pro vexatione iniusta redimenda, quam probabiliter timebat, quod est licitum c. dilectus 1. de simonia. vnde penas contra simoniacos latis non incurrit.

## DECISIO VII.

Ex cons. 7. alias 2.

**C**um sacris canonibus a Concilio Tridentino scilicet 22. cap. 1. de ref. & scilicet 24. cap. 14. de ref. approbatis, & innovatis, cautum sit, ne aliquid pro institutionibus, vel collationibus beneficiorum accipiatur, saltem in pios usus non conuertendum, cap. ex multis. 1. q. 3. cap. instituatur. cap. cum in ecclesie. & cap. iacobus de simo. & Notarius non potest magis pro calamo, quam Episcopus pro ordinatione, & institutione, capere: cap. 1. de simon. & cap. sicut episcopus. 1. q. 2. Non potest Secretarius Cardinalis Rom. scutum vnum pro subscriptione, & Registratura Bullæ provisionis beneficij ecclesiastici, & alterum scutum pro impressione seu appensione sigilli in suprascripta Bulla, accipere dummodo nullum alium laborem in Bulla adhibeat; quicquid consuetudo talis ibi vigeat, cum talis consuetudo etiam immemorialis a Concilio Tridentino sublata sit.

## DECISIO VIII.

Ex cons. 8. alias 6.

**H**abens indultum ad conferendum beneficia cuiusdam ecclesie & vacante canonicatu eiusdem ecclesie illum suo familiari confert cum conditione, ut ipse eum daret alteri referuata sibi pensione centum aureorum, & si maior pensio constitui posset illa referuaretur alteri, qui familiaris canonicatum præfatum acceptans illum alteri renunciat referuata sibi pensione etiam centum aureorum cum conditione, ut reliqua maior pensio quæ imponi posset, referuaretur cui vellet ille habens indultum: simoniam non solum conventionalem sed etiam realem committit; eo quod inter habentem indultum, & familiarem suum interuenit pactum conferendi talem canonicatum & beneficium suo familiari, & ut familiaris illum renunciet referuando sibi pensionem centum aureorum, & alteri quicquid amplius referuari posset quod pactum, cum ex parte habentis indultum fuerit in totum completum, & ex parte familiaris saltem ex parte, sufficiens est ad simoniam realem constituendum, ita Nau. in Ma. cap. 23. num. 105.

## DECISIO IX.

Ex cons. 9. alias 16.

**R**enunciens beneficium principaliter, ut detur alicui idoneo, cum spe minus principali concepta, quod erit ei gratus, sine qua non ei renunciaret, nullam simo-

niam committit: sicut neque e contra simoniacus est, qui recipit beneficium ex tali renunciatione; eo quod simonia non est dare spirituale minus principaliter ob aliquod temporale: neque e contra dare, aut facere aliquid temporale minus principaliter pro spirituali: ex Nau. in Man. cap. 23. nu. 100. Neque simonia est resignare spirituale, & illud acceptare principaliter ob amicitiam, & benevolentiam, quæ sunt bona inæstimabilia, sperando mediâ & minus principaliter aliquod temporale, ex illa benevolentia: ita S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. & licitum est dare, aut facere aliquid temporale, principaliter ad alicuius amicitiam & benevolentiam, quæ sunt bona inæstimabilia, querendam sperando exinde mediâ, & minus principaliter, aliquod spirituale donum factum, ut ait S. Tho. ubi supra & Caiet. ibi. Fel. in ca. ad audientiam 2. de ref. & Nau. in Man. cap. 23. nu. 106. Quæ de causa licitum est seruire Prælati minus principaliter ob beneficia consequenda etiam si non seruiret illis, si alias illa non speraret. cap. constituit. d. 74. & cap. ad nostram de elect. glo. in cap. cum sicut. de simo. Sicut etiam licitum est clericis seruire Deo in ecclesijs ob spem ascendendi ad dignitates earum, cap. si officia d. 59 & cap. consulere. d. 74. Neque simonia est dicere Missas, quas non dicerent; si solitæ prout eis non darentur; Neque simoniæ damnâdi sunt qui principaliter surgunt ad horas propter Deum, & minus principaliter propter distributiones, etiam si ad illas non surgerent, nisi illas lucraturos se sentirent. ex S. Tho. quodlibet 8. artic. 2. & Maior. 4. d. 21. q. 1.

## DECISIO X.

Ex cons. 10. in vtrisque.

**P**atronus ecclesie cathedralis aliquem præsentare promittens, & præsentandi cognatus rogatus a patrono, ut in gratiam prædictæ promissionis aliquam ei pecuniæ summam concedat, quam ipse dat, sed prædictus patronus antequam illum præsentat, moritur, & sic promissio nullum sortitur effectum; si postea præsentandus a suo cognato rogatus dictam summam ei soluat, ne cognatus dânum sentiret, quamvis in hoc eventu prædictus patronus, & cognatus præsentandi simoniam conventionalem ex vna tantum parte completam commiserint, ipse tamen præsentandus nullam exinde simoniæ labem incurrit, ex eo quod soluit cognato pecuniâ, quam contemplatione ipsius, ipso præsentando ignorante, patrono cognatus prius dedit, ne a promissione Episcopatus retrocederet; quia non soluit pecuniâ ab ipso datam eo sine, ut simoniam a cognato, & patrono commissam approbaret, sed longè alio, videlicet ne cognatus iacturam aliquam in pecunia amicæ eius causa insumpta patiatur, intendendo pro fine principali amicitiam, & gratitudinem quam amor ille merebatur, quo cognatus ad illam pecuniâ ipsius causa dandam mouebatur, licet illa datio sibi displiceret, & eam damnaret, quæ datio facta a cognato solum causa impulsiva, cur dictus præsentandus pecuniâ hanc cognato suo soluit, non autem finalis, & principalis censerit debet; causa vero talis impulsiva simoniam non inducit: ut ait Nau. in Man. cap. 23. num. 100. præsertim cum præsentandus iste, simoniam illam inter cognatum & patronum ante commissam ignoraret, donec is, cui facta fuit promissio, mortuus fuerit, nihilque ex huius pecuniæ solutione assequi sperat.

## DECISIO XI.

Ex cons. 11. alias 35.

**R**esignans beneficium litigiosum sub conventionem, ut resignatarius euicta lite constitutioni pensionis consentiat, subsecuta victoria, & pensione soluta, simoniam realem committit, ob quam ipso iure censuræ, & alię pœnæ incurruntur: cap. de simoniacis, & cap. de regularibus de simo. & Na. in Ma. c. 23. nu. 100. & 111. & resignatarius beneficio renunciare tenetur, nec fructus adeptus sine noua provisione retinere potest.